

Lig. Dist. A.

« A. Dei gratia florentinorum potestas, nobilibus viris dominis de Mortennano salutem et honeste vivere. Querelam contumeliis plenam et dolore non vacuam recepimus continentem, quod cum mercatores urbevetani cum bestiis et rebus aliis per districtum nostrum secure transirent, vos contempnentes dominium nostrum, contra iustitiam de omnibus expoliastis eosdem, preceptorum iuris non recordantes. Cum igitur deceat sapientes libenter sufferre insipientes, dimittimus ultionem; vobis per presentia scripta mandantes, quod vel restituere debeat ablata, vel per vos vel per aliquem vestrum omni auctoritate munitum non differre venire, si de iure confiditis, obiectis rationabiliter responsuri ».

a mandatis

qo(d*litteras* v*pp*o** o*n*y**)
m*iss. s*ag*il***

Qui, litteras derisorie quasi recipientes, dixerunt se nolle de novo alicuius distinctioni subicere, nec esse consuetudinis predecessorum ipsorum sub florentinorum examine respondere. Denuo per legatos nobiles viros dominans significavit eisdem, non mandans neque precipiens, sed monens et ortans, ut alter ipsorum saltim veniret coram ipso, curaturus stare mandatis, sub conditione se nexibus aliquibus non alligandi.

Qui denuo respondentes dixerunt: se plurimum admirari, cum nunquam fuerint nec sint alicuius distinctioni suppositi: inter cetera proponentes se consilium super propositis habituros.

(d*litteras*, v*pp*o**
i*nde p*ro*pt*er**)

Responderunt enim secundum consilium amicorum reputantium civitatem esse venalem, et precibus posse corrumpi; ostendentium etiam cives eiusdem super talibus non esse concordes. Super quo plures simili spe ducti, dicuntur fuisse decepti et a radicibus extirpati. Florentini vero auditis responcionibus antedictis, urbevetanis damna de publico integraliter emendarunt, de offensis veteribus et novissimis proponentes ulcisci.

Lig. Dist. A.
F*er*ma*nn*u*in*u*o******m*iss. s*up*er****m*ang*an*u*in*u*o******c*on*tra** m*ang*an*u*in*u*o******

Anno vero sequenti super predictum castrum hostiliter equitarunt, cum timore tamen et dubio, cum esset castrum illud pro natura loci fortissimum, et palatiis mire pulchritudinis et turre munitum ac circumdate foveis et muris ab interiori parte decem brachiorum crossitudinis. Et pervenientes ad locum, construxerunt haedifia plurima circa illud, et mangano et trabuccum oneratum plumbo, licet percussores eorum, non nisi sicut fabe marmoree offenderent muros. Cum autem diu resedissent ibidem, in vanum utique laborando, proposuerunt rem aggredi novam, inauditam et prorsus insolitam: castrum videlicet intrare sub terram, et omnia diruere, licet cum immoderatis sumptibus et laboribus. Et incipientes foveam ad pedem montis, processerunt, propter ruinam et ne laborantes offenderent proiecti lapides de castello, lignis cooperientes eandem: et cum immoderatis angustiis pervenientes ad turrim, foderunt ipsam similiter et muros, aptando ligna sub ipsis, ut in ictu ruerent igni combustis: castellanis interius destruentibus muros, et bellum mirabile facientibus cum eisdem. Interim videntes domini supradicti eorumdem appropinquare necem et ceterorum existentium cum eisdem, paruerunt, licet inviti, carcerem, relictis omnibus, postulantes. Igne vero sub terra accenso, haedifia omnia ceciderunt, et omnia in momento a radicibus sunt evulsa, per dies XL laborantibus florentinis. Anno M. cc vigesimo, mense iulii. Unde quidam spiritu prophetie:

I*en*du*an*u*in*u*o******2*d.*
F*lo*re*nt*in*u*o*******j*pro*p*ro*pt*er***

O Mortennane non est tibi nomen inane;
Mors tua, mors dura, multis dabit aspera iura.

I*pro*v*ict*ori*u*o******h*ab*u*u***

Non enim pro victoria hec scribo, sed pro memoria tantum, hostendens periculum dignitatum maioribus obedire, et magisterium novum ad comodum dominorum. Universis tamen et singulis consulo, quod nomina congrua filii et locis imponant,